



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Hebdomas Patientiae Sive Methodus Facilis Totam Septimanam Inter Omnes Fortunæ, Ac Vitæ, Coeterosque Casus Humanos In Sancta Quiete, Pace, Et Patientia Transigendi Ex Consideratione, Imitatione Et ...

Dietmer, Georg

Moguntiae, 1674

Caput II. Amore dolorosæ Virginis omnia dura suscipienda patienti animo,
atque adeo ipsam etiam mortem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46586](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46586)

Tantum tulit, quantum amavit
 Tantum amavit, quantum decuit,
 Hanc Matrem, hunc filium.

*Vbique Regnum debetur MARIÆ, etiam in
 doloribus.*

CAPUT II.

*Amore dolorosæ Virginis omnia dura susci-
 pienda patienti animo, atque adeo ipsam
 etiam mortem.*

PArthenophile si alapas, & verbera
 tibi amore dolorosæ Virginis pacien-
 ti animo perferenda proponerem; &
 in ipsius Dei Matris vitâ imitationis
 exemplar non reperires, credo te filium
 ejus Salvatorem tuum præ oculis habi-
 turum; posteaquam enim innocentissi-
 mus cuidam iniquo judici dixisset
*Jo. 18. Ego palam locutus sum mundo, & in
 occulto locutus sum nihil. Unus ministrorum
 dedit alapam Jesu, dicens: sic respondes Pon-
 tifici? Nec desunt dolorosæ Matris cul-
 tores, qui suæ salutis authorem secuti,
 ignominiosam ejusmodi injuriam cor-
 dato animo perpessi sunt. Lege, si libet,
 sodalem Parthenium. Et ut alios ta-
 ceam, Bernardus à regulari clerico, cui
 habi-*

habi-

habitum ordinis sui ex justâ causâ negaverat, gravi alapa percussus, ita ut maxilla inflari, & rubere inciperet; omnibus tamen, quibus poterat modis excusare factum, impedire vindices, liberumque dimittere studuit amore illius Domini, cujus se discipulum profitebatur, quique non solum maxillam præbuit se percutientibus, sed corpus totum in cruce figendum præparaverat. *Vita lib. 3. c. 16.* Possesque tibi sic congratulari te in ordinem equestrem assumptam, in quem, cum teste Lyræo *de imit. Jesu pat. lib. 2. cap. 8.* quis asciscendus esset, ab eo qui cæremoniis præerat, alapa percutiebatur his verbis prolatis: *Ad honorem Dei omnipotentis Te militem ordino; memento quoniam Salvator mundi coram Annâ Pontifice colaphizatus, & illusus est; ejus opprobria memorari ne desinas, ejus crucem acceptare consulo. Sc.* Quod si & falsorum amicorum insidias sustineres; credo in mentem tibi revocares illud *Matth. 10.* *Nolite arbitrari quia pacem venerim mittere in terram, non veni pacem mittere, sed gladium: veni enim hominem separare*

vare adversus Patrem suum, & filiam adver-
sus Matrem suam, & inimici hominis domesti-
ciejus. Si catenæ, & vincula tibi suf-
ferenda; gloriari posses cum Apostolo :
Ego vindus Christi Jesu. Vindum enim esse
propter Jesum, ut ait Chryostomus, illu-
strius est, quam sive Apostolum, sive Docto-
rem, sive Evangelistam esse. Verum aliud
modo non superest, quam ut te etiam
atque etiam hortet & admoneam, ut
nihil adeo durum, & asperum; nihil
tam molestum, & impervium; nihil
tam horridum, & contra humanæ vitæ
rationes insolens existimes, quod non
amore amorosæ, & dolorosæ Matris
tuæ æquo, patienti, ac libenti animo
preferendum suscipias; adeoque si ipsa
mors mentem anxiam, suspensum cor-
pus, & dubiam spem teneret, læto, paca-
toque vultu spiculum ferale exspectes;
quando Mater tua tot inter dolorum
cruciatus, & vulnera mentis, non qui-
dem corpore, sed spiritus amaritudine
toties quasi exspiravit. Quò ut te fa-
cilius inflectas, majorique animi prom-
ptitudine, & voluntatis resignatione
Divine

Divinæ dispositioni committas, aliud non agam modo, quam ut brevibus verbis, demonstrarem non esse, cur sibi metuant à morte ii, qui in vita dolorum Virginis, ac tantæ Matris cultores existiterunt. Imprimis itaque mors tibi timenda non erit ex eo capite, quod easummas quasdam angustias moribundo inducere consueverit; solet enim clementissima Domina tum servis suis robur singulare impetrare, quo naturæ angustias fortiter, constanterque ferant. Quod præclare noscens S. Carolus Borromæus pro felici ex hac vitæ egressu, quotidie Salvatorem nostrum, per dulcissimam ejus Matrem tria rogabat. Primum erat lacrymosus aspectus, & dolorosum suspirium Christi morientis. Alterum unum ex dolorosis suspiriis, & lacrymosis aspectibus, & gemitibus cordis Mariæ, stantis sub cruce JESU. Tertium: Ut in Angelo Dei sibi Virgo succurreret in eo mortis articulo, quando ejus cor rumpendum, animaque à corpore separanda. Et vero S. Præsul factus est voti campos. Mirabile quid
i memo-

memorat Surius 22. *Aprilis* de S. Opportuna Virgine, ad quam ægrotantem cum invisissent S. S. Cæcilia, & Lucia, quid præcipit, inquiebat ægra, ancilla sue gloriosa Virgo *MARIA*, cœlestis Regina, & omnium Virginum Domina? Cui Sanctæ: *Ut eas obviam sponso, & sponsæ.* Dumque Psalmi decantarentur, respiciens illa ad ostium, dixit canentibus: *Ecce advenit Domina mea, cui vos commendo, quos in hoc sæculo amplius non videbo.* Cumque quasi amplexatura Dei Matrem, extendere brachia, sancta ejus anima corpore soluta est. O quæta, ô felix mors Parthenophile? cur ad mortem trepidaret filius dolorosæ Matris? fateor terribilium omnium terribilissimum esse mortem; sed non cultoribus Sanctissimæ Virginis. Certe P. Joannes à Campis genuinus dolorosæ Matris cliens ex societate nostra, sub mortem ad quendam conversus sincere edixit: *O si nosset mi Pater, quantum in morte afferat animo solatium, Deiparam singulari studio coluisse!* Et Joannes Gerardinus ex eadem Soc. moriens Anno 1606. ita S. S. Virginem com-

com-

compellabat: *O Maria tribularer nimium, se nescirem tuum patrocinium.* Secundo, mors tibi tantopere timenda non erit Parthenophile, si dolorosæ Virginis sis cultor egregius, ex eo capite, quod circa finem vitæ graviores dæmonum insultus, & infidiæ terroresque migraturæ animæ soleant impendere. Ipsa enim Virgo si unquam se monstrat Matrem, id tum præsertim facit, cum agitur de hereditate æternæ vitæ adeundâ; tum si quidem sicut se piæ animæ misericordiæ Matrem exhibet; sic se terribilem velut castrorum aciem ordinatam commonstrat dæmonibus. Neque ego in re à pluribus scriptoribus fusissimè sententiis, & exemplis comprobata, aliud afferam, nisi de solo Carolo Brigittæ filio testimonium, de hoc Virgo Dei para lib. 7. revelat. cap. 13. ad S. Brigittam sic loquitur: *Ego steti prope filium tuum Carolum, paulo ante, quam emisit spiritum, ne aliquid Deo contrarium cogitaret: Ego juvi illum in exitu animæ, ne tam duram pœnam in morte sustineret; Ego custodiavi animam ejus à dæmonibus, ne animam ipsius tangeret,*

gere, possent, & statim egressam ex corpore accepi eam in meam custodiam, & defensionem, quo facto tota turba demonum evanuit. Libenter itaque fato decedes, si sic Numini visum fuerit Parthenophile, si tamen servus sis Beatissimæ Matris tuæ. Noli irasci, quod videar ambigere quodam modo ita derepente, & contra meam consuetudinem, num servus sis Marianus; eò enim meliori titulo talis vocaberis, quò ardentiore affectu dolores mœstissimæ Virginis prosequeris, tantòque meliore, sanctioreque obitu discedes, quæ omnia tibi sequentibus lineolis, ut spero sufficientissime demonstravero. Itaque Anno 1233. septem è numero Marianorum sodalium Florentinorum, Virginis perquam studiosi, dum festâ faustaque luce Deiparæ in cœlum assumptæ sacrâ, ejusdem Domine laudes pro se quisque singulari devotione peragerent; subito vox cœlo delabitur ad singulos, etsi locis disjunctos, eosque solos, etsi complures eidem ecclesiæ interessent, eâ autem voce ad perfectius quoddam vitæ genus, arcti-

arcti-

arctiusque Deiparæ servitium vacabantur. Die inde parasceves cum Christi, mæstissimæque Matris cruciatus pio animi sensu recolerent; Angelicis stipata spiritibus Dei Mater apparet, atricoloris vestem ipsa præferens, Angelis interim arma, ut vocant, passionis com-monstrantibus, & eam quidem vestem, ut in memoriam dolorum suorum, quibus colendis sese prætereatotos darent, pro habitu susciperent, mandavit. *Hic, inquebat, vester est habitus, & servi Mariæ Virginis vocabimini.* Nec aliter evenit, sæpe enim per plateas incedentibus, infantes ipsi divina virtute facti loquaces, hisce illis verbis acclamabant. Ecce servi Beatiss. Virginis MARIÆ. Atque hi ipsi sunt, à quibus religiosissimus ordo servitarum, seu servorum Dolorosæ Matris initium sumpsit. Ubi illud nota Parthenophile, fuisse sanctos hocce viros semper quidem Virginis studiosissimos, verum nomine *servorum Mariæ* non prius fuisse compellatos, quam cum se sacris Deiparæ doloribus recolendis totos devovissent. Adeo intimi sunt
Dei

Dei Matris, qui intimè ejus angustias, & cordis compaffiones venerantur. Vin' scire, qua beatitudine è vita excefferint.

B. Bonfilius reliquorum quasi Pater, vitam doloribus Dei Matris consecratam hac clausit periodo: Anno 1261. cum nocte quadam cum cœteris horis matutinis interesset, reque divinâ jam peractâ, cum singuli more suo certum conclave peterent, vocem audierunt dicentis: *Bonfili, ideo quod audisti vocem filii mei, & amore ejus reliquisti omnia, centuplum accipies, & vitam æternam possidebis.* Vox finita vix fuerat, cum eodem pene momento animam tam probi servi, & tam re, quam nomine boni filii optimæ Matris, corpore egressa est, avolatura inter brachia dulcissimæ Matris, quæ eam aperto gremio recepit, prius hoc felici momento etiam aliquo cœlestium gaudiorum gustu delibutam. Cumque cœteri in terram prosternerentur, & partim ut credibile est, gaudio, partim Dei, Matrisque dolorosæ amore, animo quasi linquerentur, eandem vocem iterato perceperunt dicentem: *Adeste San-*

N

di om-

Ei omnes, procedite obviam gloriosi spiritus
 honoris causa, stipate eum, qui mihi tam fide-
 liter servivit tempore peregrinationis sue mor-
 talis. Vosque (voce ad vivos directâ)
 servi mei amantissimi, sumite, quas vobis reli-
 quit exuvias, & quo decet honore terra com-
 mittite. En Parthenophile, quinam sint,
 & amantissimi Matris Mariæ, & fortu-
 natissimi in morte. Paucis post annis
 B. Amadeus sive Amatus, alter è septem
 illis, sanctissimam vitam inter summos
 animi, corporisque labores exactam
 non aliter finiit, quam cœlestis spiritus
 faceret, si mori posset. Ex quâ horâ
 discessit, domus tota cœlestes odores
 spirabat, unde colligeres, quo in præ-
 cio morientis anima apud Dei Matrem,
 & filium esset, ingensque splendor cu-
 biculo, in quo moriens jacebat, egressus
 paulatim nubibus sese immiscuit. His
 duobus successit tertius B. Boniunta
 modo similiter tum mirabili, tum summe
 felici; Is namque peracto SS. missæ sa-
 crificio, ita ut vestibus erat indutus,
 omnes ad se socios evocat, quorum erat
 Generalis, cumque eos quarundam re-
 rum,

rum,

rum, & instantis sibi mortis commonefecisset, ingenti animi sensu de passione Domini cepit verba facere, cumque ad crucifixionis pervenisset mysterium, extensis in crucis modum brachiis, totus amore divino succensus, spiritum DEO, ac SS. Matri suæ tradidit. Post hunc B. Manetus summo & is solatio, ac in Dei Matrem pietate mortuus est. Sed quid sexto factum existimas Parthenophile? Erat is B. Alexis, jamque compleverat centum, & decem ætatis annos, ex iisque omnino septuaginta in ordine Matris dolorosæ exegerat summo virtutis studio, quando ei morienti Christus præsens, visibili infatis specie, coronam omni auro preciosiorem capiti ejus imposuit, cōcinentibus interim, & candidissimarum avium formam circumvolitantibus sanctis Angelis. Hos tam felices transitus cum invicem conferrent B. Sosthenes, & Uguccio, atque ut similem sibi mortem concederet, Deum precarentur, vocem percipiunt: *Heus, heus, viri Dei, cessent querelæ, cito enim finientur labores vestri, & participes eritis quietis socio-*

rum vestrorum. Nec longâ post interje-
ctâ morâ uterque levi febricula correptus,
suavissima morte defungitur; viditque
eodem mortis quasi momento B. Philippus
ejusdem ordinis duo candidissima lilia jam
jam à radice decisa, Beatæ Virgini offerri.
Erant hæc lilia inter spinas, inter dolores
Virginis tanti Matris filii. Ac ne te celem
Parthenophile hunc B. Philippum, qui etsi
inter hos septem primos non fuerit, nomen
tamen fundatoris servorum B. Virginis
passim obtinuit, in obitu suo felicissimum
quoque fuisse; scias velim, eum à Matre
misericordiæ tempus obitus, nempe festum
assumptionis Domine nostræ intellexisse,
ut qui tempore vitæ dolorum D.V. cultor
exstitisset, cum eadem gloriosè coronaretur.
Voluit autem Domina, ut Tuderto corpus
suum relinqueret, quò cum se contulisset,
obviam ei effusa est tota urbs, cum ramis;
verum modestiæ memor, eum honorem
declinavit. Pridie deinde gloriôsæ
Assumptionis Deiparæ, inter refertas
lacrymas, non secus ac si crudelissimi-

lissimus peccator esset, ad populum verba fecit. Sequenti deinde die festo, sacro viatico refectus est, seque ad abitum ex hac vita comparavit; quo facto vox cœlo allapsa est: *Euge serve bone, & fidelis, quoniam super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui. Quibus auditis sanctam animam Deo reddidit.* Hæc demum est preciosa mors devotorum dolorosæ Virginis Parthenophile? Quid tibi videtur? similine morte defungeris? ita sanè, si cruciatus Salvatoris tui, ac amantissimæ Matris Virginis impensò studio fueris profectus; de quo optimo animi affectu cum tot ex signis certum mihi sit; & Te Parthenophile vitæ æternæ, beatæ, & tranquillæ æternum participem futurum nullus dubito; hinc quo tempore mors tibi minabitur, aliter te, rogo, non geras, quam si ex ergastulo longo, libertati aliquando restituendus fores, & totus exulta.